

**Dissertationem inauguralem de suppressione catameniorum / sub  
praesidio Jo. Gothofredi Berger ... exhibet Johannes Simeon Reinhard ... ad  
D. VII. Junii, Anno M.DC.XCII.**

**Contributors**

Berger, Johann Gottfried von, 1659-1736.  
Reinhard, Johann Simeon, active 1688-1692.

**Publication/Creation**

Wittenbergae : Typis Martini Schultzei, [1692]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/embc92hu>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



DISSERTATIONEM INAUGURALEM  
DE  
SUPPRESSIONI  
CATAMENIORUM,

DECRETO atqve AUCTORITATE  
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ IN  
ACADEMIA ELECTORALI SAXONICA,  
SUB PRÆSIDIO  
DN. D. JO. GOTHOFREDI BERGER

Facult. Medicæ Senioris ac Pathologiæ Prof. Publ.

PATRONI AC PROMOTORIS Sui maximopere colendi,  
PRO LICENTIA

Summos in Arte Medica Honores ac Privilegia Doctoralia  
legitime capellendi,

*Publico Eruditorum Examine  
exhibet*


JOHANNES SIMEON Reinhard/

Patriæ Osfitiensis Practicus.

*Ad D. VII. Junii, ANNO M. DC. XCII.*

In Auditorio Majori.

Horis ante-ac post meridiem solitis.



WITTENBERGÆ,

Typis MARTINI SCHULTZII.



*Illustrissimo Domino,*

**DNO. FRIDERICO ADOLPHO**  
**ab Haugwitz /**

**ynastæ in Spremberg, Oberlichtenau ac Reichenbach &c. Seren-**  
**issimi ac Potentissimi Electoris Saxonæ Supremo Aulae Marschallo, in Consilio**  
**Sanctiore ac Bellico Senatori Eminentissimo, Redituumq; Provincia-**  
**lium Directori Supremo &c. &c.**

*Domino suo Gratosissimo.*

*Ac*

**V I R O**

*lobilissima Prosapia Splendore, insigni Auctoritate, Meritorum Am-*  
*plitudine, Doctrina ac Prudentia Excellentia maxime conspicuo,*

**DNO. FRIDERICO Rühlewein /**

**erenissimi ac Potentissimi Electoris Saxonæ Supremo Judici Bellici**  
**Præfecto Gravissimo &c.**

*Ut &*

*Prænobilissimo atq; Amplissimo* **V I R O,**

**DNO. JOHANNI Gammeln / in Kahrs-**  
**dorff ac Theisevvitz &c.**

**Serenissimi ac Potentissimi Electoris Saxonæ Supremo Aerarii Militari**  
**Præfecto Splendidissimo &c.**

*Agnato, Mæcenatibus ac Patronis suis*

*Opt. Max.*

**Dissertationem hanc Inauguralem,**

**Socia perennantis felicitatis appreciatione comitatam, in perpetuæ**

**Observantiæ cultusque devoti argumentum**

**submitte dicat consecratq;**

*Illustriss. ipsius Exor*

*ac*

*Prænobiliss. Am*

**Servus humillimus**

**JOHANNES SIMEON Reinhardt**





L N J.

# DE SUPPRESSIONE CATA- MENIORUM DISSERTATIO

I.

**Q**Uoniam infirma sit natura hominis, & fluxa atque caduca ejus vita, consulendum ratus nostræ perennitati Deus, certis à se intervallis utramque sexus conditionem disjunxit, organaque viris iniecit, quorum opera atque ministerio subnixi, vim servatricem humani generis experirentur; foeminis autem uterum fabricavit, ut eodem, velut irriguò & felici humanæ vegetationis solò immortalitatisve seminario, excepta & occæcata semina, sive ovula, illà masculi liquoris *εσπερία* foecunda fierent, atque in vivos foetus explicarentur, & hanc mirificà procreandi virtute, foecunditateque alius ex aliâ gignendæ prolis inexhaustâ ab interitu se vindicare homines, ut animantia cuncta cætera, possent. Atque adeo, ne forsan in irritum id negotii recideret, insignis ei voluptatis illecebras copulavit, & florentem ætate ac integrum viribus utrumque sexum blandò liquorum genitalium titillatu affici, hocque jucundò ac svavi naturæ sensu allici invitarive ad implicandos ultrò citròque amplexus, & adjunctâ indies accessione locupletandum hominum genus voluit. Eo fit, ut plena jucunditatis res, quod *Aristoteles in Problemat.* ait, concubitus sit, nec foeminas minus, quam mares, simul atque ætate accreverint, ingens atque miranda totius corporis mutatio consequatur: Dum nimirum,



rum, augescere in majus atque vigente nervosius vitali robore, primâ lanugine genæ flavescunt, in floresque se induunt, & pudorem pubes convestit, vultusq; decoro rubore magis magisque suffunditur, atq; oculorum acies acrius inardescit, voxque intenditur, atque incessus, gestus, sermo, omniaque ad officii honestatisque legem fensim paulatimque effinguntur; quodque sexui foemineo evenire videas, æquis utrinque uberibus mammae distenduntur, exultansque æstu purpureus latex animosius in orbem volvitur, atque vix ægreque suis regionibus circumscribi passus, per matricis sinum exundat & evagatur.

## II.

Uterus namque, quemadmodum ex sua natura ferendis hominibus sapienter ordinatus & fabricatus est; ita præ cæteris corporis partibus singularem omnino structuram & spongiosam quandam musculosamque substantiam, ex omni varietate fibrarum eleganti concinnatam artificio, totque vasis varie ludentibus locupletatam obtinuit, quâ non ad fovendum solummodo, sed & nutriendum foetum, & proinde ad secernendam excernendamque humorum redundantiam, aptus natus & comparatus est. Quæ enim ex hypogastricis spermaticisque eum rigant numerosæ fatis arteriarum propagines, non recto atque inoffenso, sed flexuosô admodum cursu, secus atque alibi in corpore fieri solet, feruntur, & in varios cincinnos, pampinos vitium imitantes, contortos implicatosq; ductus abeunt, sibiq; tot ac tam patentibus invicem nexibus illigantur, ut aliquandiu inflatô unius arteriæ principio, omnes totius uteri arteriæ peræque distendantur. Pari modo, venarum uteri ab hypogastricis pariter spermaticisque oriundæ divaricationes, sed numerosioribus longe ramis dictas arterias comitantes,



tantes, serpentinò pampiniformique ritu, mutuis anastomosis associantur. Idem in vasis, vaginam uteri irrigantibus, atque ex hypogastricis & hæmorrhoidalibus oriundis, & in superiore parte cum vasis uteri coeuntibus, observetur. Inter bina autem isthæc vasa, uterum perreptantia, plures sub sinusque membranacei, lacteis mammarum tubulis haud multum ab similes, & propagatis lateraliter ramis, retis in formam impliciti, ac frequentibus admodum orificiis in idem coeuntibus, plurimis autem exilissimis osculis in cavitatem uteri hiantibus, excurrunt. Ex quâ structurâ, ut par æquumque est, dispositâ, non potest non effici, ut, qui vigore cordis ad uterum devolvitur sanguis, de impetu suo motuque in partibus alijs solenni, propter illos anfractuosos arteriarum canales multum remittere cogatur; Et, si insuper mole sua astute turgear, ob eamq; causam per venarum tortuosos itidem ductus, collectis viribus, notò circuitu satis cito expediteque reverti non possit, faciâ conceptione, in molliam subactamque vigenitalis auræ viri alias compactiorem uteri substantiam diffuset, & elaboratiorem suâ ac dulcem lacteamque partem, quâ redundat, in dehiscen-tiarum tubulorum ostiola deponat, foetui pro nutrimento circumfundendam; Extra ingravidationem verò propter solidiorem illam substantiam, compressaque adeo & occlusa dicta diverticula, deflexò paulum cursu, quod superfluum est, in sinum uteri incumbat, suaque turgescencia distentis & laxatis venarum osculis excidat, effractisque repagulis, per laxiores & turgidos illius poros in cavitatem ejus erumpat, donec, allevatò satis corpore, ac sedatâ turgescentiâ, collabentibus iterum, & ad se invicem magis accedentibus, constrictisve viis istis deviis, ad pristinum suum & naturalem circulum eò locò sanguinis massa redeat.



## III.

Merito autem hoc Summiquè Opificis providentiâ factum, ut collecta in gratiam foetus, luxuriansque sanguinis massa extra gestationis aut lactationis negotium istò per muliebria effluxu ad salutem & conservationem corporis depleatur. Cum enim Natura mulieres ad venerem quòvis tempore aptas, & ad concipiendum habiles esse vellet, sic quoq; naturam earum comparatam esse voluit, ut viro maturis ea chyli ubertas à visceribus generaretur, è quâ sufficiens alimentum foetui, cum uterum gerunt, suppeditare, cujusve copia, si eo usq; excreverit, ut naturæ partium oneri incipiat esse, non gravidæ neq; lactantes, se levare commode per dictum jam modum possent. Qui quidem muliebris fluxus, quia inde ab incunte adolescentiâ ad limen usq; senectutis, per notabile annorum spatium, statis vicibus ac singulis mensibus, si, nihil affectâ male valetudine, nec dum foemina conceperit, nec dum foetum ubere alat, Lunæ velut in tributum redditur, menstrui, itemq; Mensium, tributiq; Lunaris nominibus in scholis Medicorum insignitur. Cujus accurati adeo circuitus motusq; periodici causa uti anceps atq; controversa est, sic eam nequaquam à phasium Lunæ, aut ab Archei cujusdam, ut vocant, cœlorum rhythmum explicantis, vel imaginarii cujusdam, quod muliebri sexui proprium specificumq; esse nonnulli volunt, fermenti virtute & efficacia petendam, sed injustâ solidi fluidiq;, ex quibus coaluere corpora mulierum, proportionem reponendam esse censeo. Fluor namque hic muliebris pro materiâ non sanguinem degenerem ac depravatum, quemadmodum quidem de corruptâ ejus indole & graveolentiâ *Plinius*, ab eoque cum aliis plerisque *Albertus* ille falsò memoriæ prodidere, sed, bonum integrumq; quod supra significavimus,



mus, eundemq; superfluum, in foeminis ad promovendam generationem, foetumq; tum in utero haectenus occlusum, tum nuper natum, enutriendum, ex Sapientissimi Numinis nutu ac voluntate coarctatum collectumve agnoscit. Cuius cum mensis uniuscujusvis curriculo tantum semper congeratur, quantum proprii conditio corporis ferre ac capere canalium suorum alveo vix ægreque possit, necesse est, redundantem ejus partem singulis quibusque mensibus despumari, siquidem salva manere debeat, & æquâ ac pari librâ subsistere illa solidarum fluidarumque partium proportio, à qua maximum vitæ nostræ momentum pendere, nemo jam est, qui inficias eat. Unde fit, ut isti periodicæ depulsioni sensim sensimque natura mulierum assvescat, eaq; ipsa nec concitetur immaturè, nec nimium retardetur, sed, interrupto nunquam ordine, singulis mensibus in suum orbem, retrovolvatur; nisi forte corporis vitio secus evenerit, aut vitæ genus ac cultus, & victus cœliq; ratio, & complexio atq; compages mulieris eam legem immutent; quæ quippe cuncta quia in variis mulieribus admodum sunt varia, varios necessariò vacationum circuitus, & in aliis copiosam, in aliis exiguam purgationem, serius ocysve urgentem, commovent, commonstrantibus id passim historiis & eloquente, magistrâ rerum, quotidianâ experientiâ.

## IV.

Itaque benè res eunt mulierum, quibus menses bene respondent; nam & universum corpus à pleonasmò vindicant, & itum sanguinis redditumq; vitalem tuentur, & benè moratam efficiunt nutritus œconomiam, ac cerebri mentisq; operationes expediunt, efficiuntq;, ut foecunditati suæ stet vigor, & ad voluntatem naturæ cunctæ actiones reliquæ conformentur, morbiq;, quibus conflictari alias elegantior sexus solet, liberâ nec impeditâ hâc purgatione, conquiescant;



elcant; ut verissime dixisse videatur *Hippocrates l. 1. de morb. mulier.* Mulierē sanam ex mensibus judicandā. Quod si quid præter naturā aliud incidat, quod illum naturæ ordinē pervertat, adeo, ut tempore atateq; maturis vel plane non eat, aut qui jam ivit fluxus, institerit ac hæserit jam jam, diversimoda malorum gravissimorum & difficulter sanabilium genera, tum ipsi utero, tum toti corpori ita affectarum mulierum oboriuntur; quæ à laudato Sene *l. alleg. ut & libr. de Virgin. morb.* fuscè eleganterque exposita inveneris. De quā affectione, quæ Suppressionis mensium nomen à Medicorum filiis obtinuit, Inauguralis Speciminis vicem nonnihil dicturus, statim ipso operis aggrediendi limine fundamenti loco historiam morbi, eorumque, quæ circa illum accidere solent, enarrabo, ut eo rectius dein naturam ejus & causas, quoad ejus fieri poterit, indagare queamus.

## V.

Tametsi verò signa Suppressionis menstruorum omnium optime ex ore atq; relatione agrotantis petantur, quæ cura apud nos nunquam non excubet, ut caput rei patemur quæri ex ægra, an menstrua retenta sint, nec ne? monente Doctissimo *Hieron. Mercuriali, de morb. mulier. c. IV.* tamen, cum passim in foeminis, quæ viro utuntur, menses, dum gravida ac prægnantes sunt, supprimantur subinde, diligenti curâ expendendum est, num uterus conceperit, an ex causis morbosis cohibiti subsistant, ne errore implicemur aliquo, eosque, ut vel spem uteri temerariâ operâ eludamus, aut inani factæ ingravidationis opinione decepti, tempus teramus, atque cunctandō curabilem morbum in insanabilem ingravescere permittamus. Neq; verò par est dignoscendi ratio in omnibus, quæ eâ præternaturali affectione laborant. Quibus enim solidum ac succi plenum corpus est, ex earum ore coloris bonitas rubore succensa, minus tamen probanda, eni-



da, enitet, & earum quidem aliæ suppressione mensium levius paulo, gravius autem aliæ afficiuntur. Principiò morbi leviora plerumque mala sunt, & perpeſſu curatuque facilia. Fatiscit paulatim vigor virium, & insolitò langvore membra obtorpent. Exeunt altius atque altius venæ, & in tumorem quasi surgere tendique corpus videtur. Ubi effuſionis menſtrux tempus iſtat, dolor è collo atque ſincipite diffunditur, æſtusque circa uterum ad ſpinam inardescit, fitque quædam in lumbis ac vicinis partibus tenſio, quæ ut plurimum ad coxas & crura ac pedum denique talos articulosque manuum ſerpit: Quo quidem tempore ſi quid forte per matricem effluat, parum eſt, & mucoſum sæpe, ſubalbidum, aut ſubnigricans apparet. Pulſant præterea hypochondria, murmurat & inflatur venter, acresque dolores ilia & lumbos compungunt. Aegrè ductus aliàs ſpiritus magis obluetatur, & compreſſæ animæ difficultas anxietatesque præcordiorum magis ægreſcunt. Palpitat muſculus cordis, motuque nunc ſegnescit, nunc ſuſcitur. Excipiunt ſeſe crebræ caloris ac frigoris viciffitudines; & phlogos quædam modò in his, modo in illis partibus, cum floridò quòdam per totum colore, excitatur, & nonnunquam eryſipelata ſuperveniunt, ac dolore arthritidi non diſſimili artus divelluntur. Invaleſcente morbo, totò sæpe corpore diſtenſiones animadvertas, proinde quaſi coercendo ſangvini non ſit vaſorum capacitas; & vario errore per venas acti reſuſque ſangvinis æſtus inſerveſcit. Quibuſcum ita agitur, eæ verò tumoribus nonnunquam inflammatoriis, aut febribus certe gravibus atque ardentibus corripuntur, aut ſuffocationis metum interdum ſubinde incurrunt; frequentius verò, diſcluſis vaſorum oſculis, diverſis partibus corporis, etiam



ea non raro, quâ penetrare aliàs sanguinem posse haud temere credideris, prorumpentem commoti sanguinis partem, modò majori, modò minori violentiâ, nec sine periculo sæpe, emittunt; aliquando per nares, gingivasque ac glandulas & ductus salivales, nec non per dentium alveolos canthosque oculorum, ventriculum item, hæmorrhoides ac mammæ, pulmonesque, sæpe etiam per umbilicum, ac per inguina, ut & per verticem capitis, porosque universæ cutis, aliaque insæta corporis loca; uti plurimas hujusmodi observationes plurimum Medicorum monumenta commemorant, quas nisi in singulis videre juvat, in magnò *Schenckii* opere requiras oportet. Nonnullæ tamen, non ubivis obviæ, in elegantissimis Celeberrimi *Pecblini observationibus* legi etiam merentur.

## VI.

Sed ea tamen cuncta non ita omnibus evenire videas. Nam multæ minorem tensionis & pulsationis sensum circa genitalia & lumbos, revolutâ periodò menstruâ, percipiunt. Nunquam autem non de insolitâ totius corporis gravitate & inertia, cum insigni crurum debilitate, spirituque difficili conjunctâ, post motum præsertim vehementiorem, aut acclivium locorum ascensum, conqueri venit in mentem. Franguntur levissimò labore artus, neque officium suum facere possunt, omnesque corporis actiones magis magisque indies frigescunt & hebescent. Deficit perpetuo appetitus, & si quid cibi sumptum fuerit, agrè fit, ut coctum confectumque in succum & sanguinem convertatur, facilè, ut vomitu rejiciatur. Interdum tamen plus justò appetunt, aut res alienas prorsus, & ad esum ac nutritionem ineptissimas, avidissime



disime desiderant. Sqalet nitor oris, purpureique coloris flos expalluit. Albicat turgescitque corpus, interdum & livescit, plumbeumque colorem induit: Interdum respersa & exasperata summa cutis videtur, eminentibus hinc inde maculis pustulisve: sæpe etiam scabie, aut erysipelate & hujus generis aliis sordescit. Inflantur & intumescunt oculi, præcipue somnò experrectis, isque arctior ut plurimum ac gravior est, cum dolore capitis gravativò permixtus. Arteriarum pulsus à naturæ ordine desciscences, imbecilli, exigui, inæquales notantur. Urina ægre quibusdam redditur, aliis omnino supprimitur, eaque alba initio est ac tenuis & cruda, interdum simul crassa turbidaque, aut loturæ carniū recens matatarum similis. Nonnullæ laborant diarrhœâ, quædam fluxu albò. Quod si diutius malum perseveret, jam illis venter obdurescit, & vigiliæ, ac dolores varii plurimique accedunt. Animi nervi eliduntur, sensuumque vires opprimuntur, & mens ac ratio de gradu suo depelluntur. Sæpe cogitationibus ultra modum indulgent, & tristes ac melancholicæ sunt, sibi que ipsæ sordent, & spe veluti omni abjecta sunt, interdum & maniacæ fiunt, sæpius volubili quædam vertigine rotantur. Cum interea, enectis attritisque viribus, langvescat compages tota, & tremor verset præcordia, & pectoris partes contractionis, quasque convulsionis cujusdam nonnihil sentire videantur, gelidusque cruor undique coeat, atque ipsæ obtorpeant, nec quoquam, nisi lentè tardèque, moveantur. Nonnunquam tamen convulsione partium manifestâ magis, vulvæque interdum strangulatu, quem vocant, anguntur, usque adeo, ut sopitæ, efflatò veluti spiritu, procumbant. Neque tamen perpetuò tam acriter



savie rit affectus, ut correptæ strangulatus dolore, neque animam trahere, nec suapte vi moveri quoquam queant. Nam & sensu præditas, nec immotas prorsus, atque mentem nihilo secius integras, easdemque & vulvæ strangulatu compressas videmus. Plurimarum quoque nervos febris assidua, sed lenta incidit, cum pulsu enervi, crebrisque ictibus mox instante, neque eodem semper tenore librato, & ex non raro urinæ stillicidio & ardore macerantur; hæcque crassa, rubicunda ac turbida, nec non nigricans subinde, rubramque quasi evolvens saniem redditur. Demum etiam quibusdam universa corporis miscella macie enecta solvitur & liquefcit, accedente maximâ spirandi difficultate tussique; aliis autem laxior fit ac mollescit, corpusque totum cum virore albicans virium inops est, inciduntque sæpius oedemata crurum ac pedum, & alii graves diuturnique morbi succrescunt.

## VII.

Non libet tamen circa hæc diutius obhærere, aut morborum, quos ab illius mali fonte deduximus, argumenta atque indicia in arctum enumerandô cogere. Ex adductis enim in medium phænomenis (quæ quidem pro causarum corporumque varietate multifariam concurrere possunt, ut numerum quorumvis iniri, & ad certas ea digeri classes vix vacet) suppressionem veram, cujus digna nobis visa fuit tractatio, cognoscere, eamque ab uterî gestatione atque conceptu distingvere unicuique nunc in proclivi erit: quippe mulieres gravidæ menstrua purgatione citra noxam carent, & quamvis ciborum eas ceperit tædium, ipsæque picâ & vomitu sæpius laceffantur, nihilominus tamen sat bene eis est, necdum forma carpitur, sed nitet plerumque, & nihil omninô aut certè par-

cissimè



cissimè in animi conditionibus immutantur. In quam sententiam interpretandus *Hippocrates* fuerit: Si, inquit, mulieri purgationes non prodeant, neque horrore, neque febre superveniente, cibique fastidium accadat, hanc prægnantem esse æstimato. *Secd. V. Aphor. 61.* Præterea quæ casu gravidis usu eveniunt, primorum tantum mensium sunt; augescente autem foetu, subsidunt omnia, resque magis dilucet. In mensium suppressione contra fit: nam in primis mensibus nulla, aut quàm levis-sima accidentia occurrant; procedens autem suppressio in immedicabilem affectum & mortem sæpe degenerat.

## IIX.

Quæ quidem cuncta ita se habere, experientia defensum it. Adhæc, ex causis, quæ sensuum itidem fide nuntur, ad verum exactis, morbi indolem longè altius inspexeris. Videmus enim & experimur, subito à causis externis, nullis præviis signis, foeminas hoc malo implicari interdum; interdum verò ejus effectricem in corporis latetibus foveri, idemque nunc citius, nunc tardius maturare. Ita fieri sæpiuscule solet, ut, admisso quovis modo frigore, ille fluxus præter spem consistat; id quod, pessimo suo, experiuntur, quæ frigidè abbibunt, & in primis, ubi choreis, vel aliis corporis motibus corpus nimium incaluit. Legimus relatum apud *Galenum Libr. de Vena Sectione* adversus Erasistratos c. 3. ejus tempore mulieres quasdam Romanas, frigidò potu adhibitò, nihil, aut parum expurgatas fuisse. Præterea *Schenkius Obs. Med. p. 631.* ex ingestâ nive eodem malo correptas recenset. Neque vero ingesti tantum, sed & ambientis tantummodò frigoris par vis & efficacia est. Cui rei testimonio esse possunt mulieres, quibus menses actu fluunt, si nudis pedibus pav-



mentò lapideò incedant, vel aquâ frigidâ laventur, aut si ex improvísò frigus externum genitalibus excipiant. Cujusmodi observationes apud *Forestum l. 28. Obs. 2. & 6.* reperiuntur; nec verò ulla intercedit dies, quin major eisdem cumulus accedat.

## IX.

Haud minus vero momenti ad gignendum hunc affectum afferre violatas diætæ leges, frequenti itidem observatione compertum est: Ejus sortis sunt, quæcunque nimiam sanguinis copiam cumulant, aut crassum viscosumque eundem efficiunt, ut victus liberalior & ciens nauseam satietas, usus ciborum crassiorum & constringentium, cerevisia seu infida fermentatione, sive frumenti crassitie turbida, vinaque præliganea, styptica & indefæcata. His addenda fuerint varia terrarum lapidumque genera, quorum esu colorum bonitati labem aspergere, palloremque amatorum sibi conciliare virgines student. Ex Medicamentorum adstringentium & constipantium usu foeminam, spe concipiendi seductam, in suppressionem lethalem incidisse, apud *Aetuarium* legere est *l. 2. de praviid. urin. c. 12.* Idem de topicis minus circumspectè ad uterum in ejus fluxionibus applicitis *Rodericus à Castro de morb. mulier. part. 2. l. 1. c. 4.* monendum censuit. Atqua ea quidem observamus facilius evenire otiosis, quæ vitam sedentariam agunt, & somno indulgent, vigiliasve in multam noctem protrahunt, æque atque illis, quæ motu in tempestivo, ac præsertim mox à pastu excitari cœpto corpora exagitant.

## X.

Porro experientia quoque constat, affectus & motus animi,



animi, quibus miserè fluctuat sexus hic muliebris, commotum iracundiæ æstum, timorem præter opinionem injectum, perculsum mœrore animum, Zelotypiam gravem & sic deinceps, tantum illis perturbationis afferre, ut plerumque tam validis motibus concussis sistatur isthæc purgatio per integram omnino ætatem, aut plures certe menses, potissimum, si sanguine, quo foemina per menses exsolvuntur, effluente, ista pathemata ingruant. Cujus quidem rei oculatum testem juvat citasse *Gabelchoverum*, quem legas idem plane intellexisse è vidua, filii inter venandum occumbentis terrore ietâ, *Cent. i. p. 156.* Operaque pretium est meminisse *Foresti*, qui *c. l. obs. 9.* mentionem injicit viduæ, marito mortuo, luctu ad melancholiam usque confectæ, ut parum abfuerit, quin mensium suppressionem perpeffa, novissime in maniam inciderit. Ejusdem generis historia ex mœrore suppressorum mensium apud eundem *Gabelchoverum* occurrit. Plures apud *Mercurialem l. c. l. 4. p. 95.* aliosque videri possunt, quas lubentes tacemus, ne aggerere hoc loco molem rerum anteaactarum, & intra has pagina angustias includere velle videamur, quod alii latius profecuri sunt.

## XI.

Dénique notum satis & passim ab Authoribus proditum est, rebus etiam aliis præternaturalibus suppressionem mensium sæpius accedere. Febres cujuscunque generis fluxum illum sistere, *Jacobus Sylvius Commentar. de mensib. mulier.* scribit. Nec solas febres, sed morbos omnes, tam acutos, quàm diuturnos, ejusdem mali fontem atque caput fuisse, apud alios annotatum reperies; quorum observationes gratæ brevitatis amantes hic consultò omittimus. Illud tamen præterire non possumus, à membrana vulvam claudente



claudente idem aliquando malum originem traxisse, cujusmodi occlusionis exempla apud *VVierium de prestig. Demon. lib. 2. cap. 38.* *H. Fabr. ab Aquapendente de Oper. Chirurg. P. 2. cap. 84. & 85. & Fredericum Ruyfchium Obs. 32.* occurrunt. Neque reticenda sunt, quæ in incisus mortuarum cadaveribus quibusdam digna notatu visa sunt. Nam *Platerus* illaesa quidem integraque viscera, sanguinem verò crassum omninò & corallii alicujus rubri, vel etiam albi instar, congelatum in venis deprehendit, ac in tenacem & veluti in cutem condensatam materiam extensum ex iisdem elicuit, *Prax. Tom. I. c. 14.* Et *Regnerus de Graaf* plurimos in uteri vasis polypos reperiit, eosque tantos, ut vasa implerent, nec non subinde in callosam substantiam degenerarent, *Tr. de Organ. mulier. c. 8.* *Malpighius* verò polypos ejusdem generis in corde & partibus aliis vidit. Alii similes concretiones pituitosas, ut & vesiculas ac sacculos variæ magnitudinis, materiaque varia repletos, è mesenterio & ovariis, uteroque & partibus aliis propendentes, observârunt, & nonnulli demum uterum ipsum parvum, corrugatum & flaccidum, alii valde magnum humoreque crasso plenum, aut durum, callosum & scirrhum, item exulceratum moleque carnea repletum, vel vasa ejus à sanguine spisso copiosaque pinguedine & pituita obstructa compressaque annotarunt, uti *Cæcilius Folius* apud *Bartholinum Epist. 62. Cent. 1.* eorum quædam adduxit, & à *Platero* *Pr. Tom. I. c. 14.* atque *Boneto Anat. Pract. p. 1350. & seqq.* plura ejusmodi collecta exempla legimus.

## XII.

Enarratis igitur iis, quæ ad suppressionem mensium rem ita ferre historiarum & observationum medicarum monu-



monumenta loquuntur, sequitur, ut accuratius paulo mali huius ingenium contemplemur. Quippe cum, quæcunque hactenus allata sunt, sensuum fide & testimonio sese tueantur; quid verò ulterius ex iis, jam perceptis, possit agitatione mentis deduci, nunc porro tentandum. Videntur autem, quod quidem compertum esse reperio doctrinà atque scientia artis nostræ principibus viris, ejusdem mali causæ proximiores ad duo potissimum capita apposite revocari posse, quæ ad sanguinis, quæ ad viarum, sive vasculorum uteri pororumque vaginalium, vitia.

## XIII.

Sanguinis culpa accitur mensium suppressio; ubi vel abundantia affluunt, & ditescere cœperunt corporis succi, usque eò, ut vasa nimium oppleant, vel cum crassitie visciditateque naturæ negotium facessunt. Ac plethoram quidem & redundantiam sanguinis præternaturalem excretioni huic obicem ponere, quotidianæ res observationis est. Id quod inde fieri credideris, quia ab immodicâ collectorum humorum copiâ plurimum & ultra elasticitatis suæ sphaeram distenta uteri vasa sese non minus, quam musculosas illius fibras plus æquo comprimant, atque adeo contentum liquorem intercludant. Ut enim rectè atque ordine sanguis moveatur, nec secretiones excretionesque in corpore segnescant, non viarum tantum libertas nullis difficultatibus obstruatur, verum etiam tonus ac robor fibrarum motricum vires excitet necesse est; quod ubi à redundante propter plenitudinem in vasis uteri sanguine obteratur ac labefiat, turgidum quidem, sed & compactum tamen, minimeque pervium reddi uterum, non minus quàm totum corpus, oportet. Ut mirari, haud subeat, si id causæ sit, quamobrem so-



lennis isthæc expurgatio per ea loca de spatio curriculo-  
que suo deflectat, nec repetat idem, nisi naturæ artisve  
vi mole sanguinis egesta. Sic usu evenit, ut, distentisni-  
mum fibris, copia sanguinis ipsum cordis musculum &  
elasticam arteriarum vim enervet, neque ex animi senten-  
tia quoquoeversum circumagi propellique elaboratum  
sanguinem sinat. Neque alienum est eodem loci, quod,  
coercitâ diutius atque coactâ ultra modum urina intra  
vesicam, animadvertas, ut propter distentum, ultra quàm  
parerat, constrictorem musculum urina supprimatur.

#### XIV.

Ex cacochymiâ verò sanguinis crassâ & viscida, ea-  
demque insipidâ, vel sali acido permixta, idem mali con-  
trahitur; propterea quod per massam sanguineam diffusæ  
chyli & lymphæ crassiores minusve mobiles particulæ  
aeris sive spiritus, totam intus humorum molem agentis,  
impressionibus vix aut parum obsequi valent, & tardius  
circa se invicem repentes, vitalem sanguinis expansio-  
nem, motumque progressivum per canales corporis, ar-  
teriosos æque ac venosos, valde impediunt & remoran-  
tur; amissoque tandem motu suo, sub forma pituitæ in  
vasorum angustiiis subsidunt. Ex quo effici necesse est,  
ut propter copiam earum & viscositatem, ac vinctâ velu-  
ti detentaque principia activa, sanguis ad turgescendum  
ineptus evadat, & tum per partes alias corporis, tum ve-  
ro imprimis per dictas vasorum uteri implicationes, non  
nisi lentissime volvatur, ac tantum non in medio cursu de-  
ficiat, occludendoque meatus, ad cavitatem vaginæ pene-  
trare prodireque nequeat.

#### XV.



## XV.

Et hæc frequentissima suppressæ istius depulsionis causa est; quæ, si altas agat radices, in pertinacem vasorum atque meatuum vaginalium obstructionem transit. Namque oberrare per vasa porosque corporis viscosæ ejusmodi moleculæ nequeunt, quin propter motus sui tarditatem & figuram ad conjunctionem maxime aptam, sibi invicem obviam factæ, hic illic hæreant, & recessibus vasorum impactæ, ibidemque fixæ, eosdem obstruant, aut sibi invicem per capreolos suos implicite, parietibus vasorum affigantur, & in confertissimas sensim passæ fibras, in polyposam quandam callosamque tandem substantiam solidescant, riveque sanguinei cursum eò magis impedian. Idem dixeris de alijs organicis vitiis, sive inde à primo ortu ea obrigerit utero conformatio, ut vasa vaginæ uteri vel nimis angusta sint, aut penitus plura eorum ora occaluerint, in illis, quibus nunquam menses fluxerunt, sive coarctatio illa vasorum occlusioque meatuum variis aliis causis contracta fuerit. Cujus culpæ pinguedinem nonnunquam nimiam, vasa eorumque orificia oblitterantem, nec non excrecentias carneas osculis itidem vasorum adnatas, reas peragunt; vocatis subinde in societatem criminis callo cicatricibusve grandioribus post abortum factum, partum ægre editum, aut exulcerationes & excoriationes quascunque relictis, vel alio aliquo duro scirrhusque tumore, ipsum uterum, aut affines ei partes, vesicam præsertim ac intestinum rectum, occupante. Connivere etiam vasa stringique pori ac meatus possunt ab adstringentium usu frigoreque interno, vel externo, à quacunque causâ ortum istud duxerit, si præsertim fluxus periodicus, aut partus tempore acciderit.



## XVI.

Neque eo secius, salvâ & incolumi structurâ vasorum uteri, in causa suppressionis mensium esse aliquando potest coalitus caruncularum myrtiformium & clausura colli uteri externi, propter quam nullus eo allabenti sanguini exitus patet; quod quidem Clarissimus *Ruyfchius* l. c. in virgine viginti annorum, quæ de hypogastrii pondere & dolore intolerabili sæpissime acerbè conquesta fuit, expertus est, sanguinem menstruum in vagina uteri stagnantem, propter membranam quandam prope hymenem sitam, totamque vulvam perfectè claudentem frustra exitum quæsisisse, à sectione autem illico ad libras circiter quatuor, maximo impetu eruptionem fecisse, eumque neutiquam coagulatum, multo minus putrefactum, sed nigricantem saltem fuisse. Qui quidem coalitus conatus plerumque est, rarius autem fortasse à vi quadam partibus illis à coitu, vel partu difficiliore causisque aliis illatâ oboritur; qua de re quisquis plura legat, apud *Fr. de le Boe Sylvium Prax. med. l. 3. c. 3.* operæ pretium facturum videtur.

## XVII.

Atque ex his quidem fontibus tam variâ gravissimæque symptomata oriuntur, quæ sequi suppressam purgationem menstruatam & comitari diximus. Quandoque enim sanguis uberiore copia cumulatus, vasa, quibus continetur, extensione infestat, fieri aliter non potest, quin villi muscutorum, qui virium humanarum robur & fundamenta sunt, nimis comprimantur, & eorum sinuli atque vesiculæ, motuum opifices, in quas derivari debent fluida motum producentia, angustiores fiant, minoremque



que naturali quantitatem eorundem liquidorum motum concitantium admittant; unde vis musculorum imbecillior, & motus proinde difficilis, ac lassitudo quadam tensiva corporis, aliorum præcursor malorum, producat, necesse est. Et quia undulans intra venas sanguis, propter plenitudinem in auriculam cordis exonerari, quoad quidem copia ejus exposceret, nequit; hinc turgere supra naturalem amplitudinem venæ conspiciuntur; quarum quia innumeræ per cutis habitum sparguntur, neque efferri commode possunt singulæ, quin extrorsum vim inferant singulis partibus: universa corporis moles extrorsum ab iis per ambitum urgeatur oportet, quasque in tumorem assurgat, cum florido tamen per totum colore, quod satur sanguinis color per cutim pelluceat. Quod si capitis, thoracisque ac ventris infimi, artuumque regiones distendi pariter atque lacesci insveta sanguinis colluvie necesse sit: experiare, toto etiam corpore distensiones accrescere, doloresque varios sensus afficere, & symptomata alia enasci, modò leviora, modò graviora, pro diversa abundantis sanguinis & affectarum partium conditione. Dum enim torrens æstuantis sanguinis irrequieto verberare à corde in vasa pneumonica excutitur, hocque nixibus ultra nixus repetitos & validiores æquilibrium & proportionem intra vasa haurientia & transmissum liquidum compensare studet: palpitationes cordis & oppressiones circa præcordia atque anxietates respirandique difficultas exoriuntur; propterea quod nimia fluidi inerrantis copia vasa sanguinea repleta debent secundum diametrum suum & in latum majus distendi; cumque vasorum pulmonalium rami tum vesiculas, tum tracheæ arteriæ tubulos densa ramificatione circumdent, qua-



siq; obvinciant & individuo comitatu sequantur, fieri nullo modo potest, ut incubatu isto & pressione tenerrimus bronchiorum vesicularumve motus expediri affatim queat. Non autem cordis tantum, sed & arteriarum frequentes insolitæque pulsationes existunt. Quoniam enim majori copia sanguinis etiam arteriæ magis implentur, nec impleri magis possunt, nisi cedant majori quantitati sanguinis internam cavitationem occupare, atque ampliari nitentis; idcirco ipsarum tunicæ quoquo versus nitentur extrorsum, & prement magis, quicquid est ad ipsarum contactum positum. Quò fit, ut pulsus ejusmodi observentur, & subinde etiam caloris frigorisque vicissitudines partes pervadant; quia modo majore, modo minore quantitate influunt & impelluntur in fibras partes calidæ sanguinis, quæ si magis sese premant invicem & exprimant, indeque turbetur vitalis mixtio sanguinis, in orgasmum surget, magisque tota incalescet massa, ac febrilis exorietur commotio. Potissimum autem in lumbis & hypogastrio ac circa spinam, instante præsertim tempore purgationis, vis impetusque redundantis sanguinis percipitur, quia in tot vasorum uteri tortuosis implicationibus tardius, quam alibi, progreditur; hincque gravius eas partes premit tenditque, ac consuetum per muliebria exitum frustra molitur. Quod si demum eo usque excreverit turgescencia sanguinis, ut continendo ei impar sit vasorum capacitas; tum quidem facile hac illave corporis parte subsistit, & nunc periculosas inflammationes, & deliquia animi ac suffocationes, aut apoplexiam invehit; nunc vero renitente motu partium tonico ruptis per vim vasorum osculis, emicat atque prorumpit, aliquando vomitu, aliquando tusu è pulmone ejicitur, nonnunquam ex mam-

mis



mis fontis instar salit, subinde tamen etiam ex aliis partibus excernitur. Quod quamvis non omnino expers sit periculi, salutis tamen atque re esse nonnunquam observatur, quia majoribus inflammationum periculis & omnis hujus generis malis ansam præcidit; quemadmodum *Hippocrates Aph. 33. Sect. 5.* salutare docet esse, si mulieri menstruis deficientibus sanguis è naribus profluat.

## XVIII.

Quando vero sanguinis massa ea quantitate modum non excedit, sed potius succorum viscosorum pravitate delinquit, nihil periculi adeo repentini à menstruorum suppressione est. Non enim gignit usque adeo atroces statim sævosque, ac repente interimentes affectus succrescens in vasis cacochymia, sed debilitato sensim sensimque solidi fluidique vigore, paulatim naturæ ordinem infringit & labefactat, tantisper dum excrementorum multitudine plurium malorum affectuum secum agmen trahat, atque obruta tandem succumbat corporeæ totius molis virtus, minutatim dilabentibus de corpore viribus, & ingressis hostiliter atque occulte, quæ vitæ fundamenta omnis convulsa penitus extirpent. Itaque si massa sanguinis ita supponatur vitiata, ut pars ejus nihil sit præter liquidum pituitosum plus minus viscidum, paulatim partes omnes quæ solida, quæ liquida corporis, irrigatæ ejusmodi humoribus flaccescent, spiritusque pauciores, & hebetes crassique, ac undis concitandis inepti in cerebro existent, unde totius corporis vires exhauriantur, membraque effœta atque inertia sui muneris numeros minus compleant, necesse est. Ejusdem vitio sanguinis appetitus proster nitur; lympa enim, quæ in tunicam stomachi glandulosam ab arteriis advehitur, aquosa, viscida, dejectique est spiritus,



spiritus, & ad excitandas ingerendi illecebras, perficiendamque ingestorum solutionem, nulli usui. Quod si lymphæ isthæ aculeis rigidis pungentibusque salibus imprægnata sit, tum fames oritur canina, summoque cum desiderio alimenta appetuntur, ad temperandum rodentem illum humorem: sin aliis peregrinis particulis corrupta & depravata fuerit, insolitos plane motus in nervis ventriculi villis spiritibusque excitat, & appetitus rerum maxime absurdarum causa est. Similis viscosus humor si tenacius interiori intestinorum tunicæ impactus, diffusos per eam nervos sua acrimonia pungat & sollicitet, in ipsis inflationes motusque convulsivos inducit; & intestina varie convoluta aliquando ascendentes ad thoracem globi speciem exhibent. Albicat palletque ex pituitosa materia corpus; quia sanguis plurimis scatens viscosis crassisque particulis, nec motu expansioneque animatus satis agili, ut sub ratione laticis rubicundi ad extimas deferatur corporis partes, minimaque faciei labiorumque vascula ingredi & dilatare queat, illa opplet humore quodam lymphatico, qui ea albedo inficit tingitque colore: Abitque hic color vel in lividum, aut flavescentem, aut plumbeum, prout lymphæ per illa fluitans vascula plurimis iisque variis pravis constet particulis. Accedunt huic colori facies atque palpebræ inflatæ & intumescentes, præcipue à quiete, quia sanguine illo crasso & viscoso ubique minima eorum vascula magis obstruuntur, & remittente paululum sanguinis motu latera vasculorum ad se invicem subsidunt, unde per illa obiens humor immotus stans, à tergo tamen pressus inflat & intendit faciem ac palpebras. Idem vero præcipue fieri à quiete ratio in promptu est, quia per quietem ignavis magis moribus, atque ubi vigiles, pluribus obstru-

ctionibus



ctionibus locus relinquitur. Somnus arctior ut plurimum & gravior est ab eadem sanguinis visciditate ad cerebrum per carotides cervicalesque arterias delata; ubi ille, dum ad infinitas per substantiam cerebri glandulosam divaricatas istorum vasorum ramificationes propellitur, paucos nec satis subtiles spiritus transmittit, qui cum ob inopiam sui interiores nervorum fibrulas flaccescere & in se mutuo collabi sinant, eoque flumine non deriventur, quod ad sufficientem musculorum inflationem requiritur, inde corpus sustentari ulterius nequit, quin in somnum prolabatur; hic autem eo gravior est, quò major est inopia spirituum & collapsus villorum nerveorum; permixtusque est cum gravativo dolore capitis, quia viscidæ quædam sanguinis partes inter fibras musculorum capitis & membranarum glandularumque cerebri porulos hærentes, obstructionesque molientes, ac pondere suo fibris incumbentes, animæ ad tristem ejusmodi sensationem occasionem præbent. Eadem sanguinis spirituumque conditio difficilem quoque respirandi copiam facit, quia diaphragma & respirationem allevantes muscoli reliqui eodem sanguine humoribusque crassis obsepti sunt, visceraque abdominis viscidorum humorum infarctu inflata veluti diaphragmatis motui obnituntur, ac spiritus præterea tantâ vix copiâ possunt emergere, ut istam continuam, & reciprocam, ac necessariam adeo actionem, quantum sat est, queant rectè sustentare. Non alienum est, meminisse hoc loco, sanguinem propter visciditatem suam ea, qua decet ac par est, alacritate pulmones transfretare non posse, & ob limosas scorias obstructions, quibus vesiculæ comprimuntur, expansioque pulmonum impeditur, parere. Neque alia palpitationis cordis causa subest, quam quod, dum sanguis



ita affectus minus expeditum per pulmones iter init, atque adeo subsequenter sanguinis expulsionem resistit, cordis auriculæ ventriculique ad violentiores contractiones sollicitentur, urgenteque magis copiâ & crassitie, aut ægrius se expandant, aut irritati acrimonia humorum ita se contrahant, ut animi deliquium & syncope sequatur. Quæ ejusdem humoris prava vis, per arterias in alias delata corporis partes, inibi pro cujuslibet natura juxta ac suâ, varias excitat tragoedias: in cerebro in motum inordinatum ei-endo spiritus, vertigines ac motus convulsivos, in sanguine mixtionem ejus vitalem turbando, febres enixa, pari modo reliquorum viscerum munia obeunda præpedit, suo quæque modo. Urinæ porro crudæ redduntur propter ignaviorem sanguinis motum, quo non dividi satis & attenuari particule crassæ possunt; eæque vel relinquuntur in sanguine, aut una cum serosis secretæ albam urinam produnt, vel per laxiores vaginæ uterî glandulas fluoris albi speciem indutæ nonnunquam exstillant. Enumerata vero, hujusque perniciosi quam plurima alia symptomata efficacius producantur, si vel in ovarîis, vel in utero hærentes humores labem in pectus ac deterius trahant, & in alienam plane naturam degenerent, & acriorem qualitatem asciscant. Hinc enim inordinatæ adeo sanguinis spirituumque per nervos commotiones, indeque diversæ illæ viscerum & musculorum abdominis, pectoris, ac colli & laryngis convulsiones & alia truculenta pathemata natales suos ducunt; à quibus repetendis explanandisque superfedeo, quia parvi est laboris, ex causæ peccantis genio, naturaque & conformatione ac situ connexionemque partium eadem intelligere.



XIX.

Atque adeo haud ita in abdito quoq; est ratio, quamobrem è variis illis, quas *Tb. IIX. IX. X. XI.* recensuimus, causis, affectus noster existat, quippe quibus cunctis vel multitudinem, abundantiamque humorum accumulari, vel cacochymiam eorum, aut cruditatem & lentorem crassitiemve gigni, vel denique vasa porosque vaginæ uteri in arctum cogi & occludi, circuloque sanguinis, cum in toto corpore, tum eò inprimis loci moram injici, minusque perviam illam partem reddi, in propatulo est. Non libet autem hæc ulterius prosequi his pagellis, sed ad signa citato gradu progredi. Tædio tamen sum, si diagnosticis signis porro inhæreamus, cum satis in antecedentibus & historiâ morbi ea à me sint exposita, quæ ad cognoscendam mensum suppressionem, eandemque ab aliis dignoscendam affectibus res exigit.

## XX.

At Prognosis quod attinet, etsi pauci sint omnino morbi, qui, cursu menstruum inhibito, mulieres non tentent, uti vel *Hippocrate* l.c. vel experientia quoque quotidiana testibus, res diluxerit; tamen illa mensium suppressio, quæ à plethora fit, aut clausura uteri, facilis est curationis, periculoque vacat, siquidem recens fuerit affectio; quia causæ illæ, si non multum invaluerint, tolli facile possunt. Aegrius autem remedium paraveris ei, quæ ab humorum lentore & visciditate pendet, eoque magis, quò plus inveteraverit malum, utpote quod non nisi multis remediis, diuturnæque operæ, cujus mulierculæ sunt valde impatientes, cedit, ac in perniciosas tandem ægritudines, inprimis autem cachexiam, phthisin, hydropem, lethalia.



lethalesque ejus generis morbos haud raro abit; quoniam non solum sanguinis crasis motusque magis magisque pervertitur, sed & obstructions multiplicantur, vasculaque, per quæ traduci sanguis debet, tandem ita concluduntur induranturque progressu temporis, ut vix medelam amplius res admittat. Quare & *libr. sapius allegato 1. de morb. mulier.* quæ ultra sex menses durat suppressio mensum, in censum morborum insanabilium ab *Hippocrate* cooptatur. Quod tamen de morbo difficulter sanabili intelligi malim, cum in contrariam partem experientia accingatur ac disputet, idemque laudatus *Senex* alibi *lib. 4. Epidem.* ipse scripserit; fuisse ancillam quandam, cui per septennium menstrua steterint, eamque, iis tandem de integro euntibus, pristinam sanitatem recuperâsse. Omnium verò pessima censenda ea suppressio, quæ à connato vitio malè conformati uteri proficiscitur, aut si ulcerum cicatrices, vel excrementiæ carneæ, aut aliæ polyposæ scirrhusque concreciones vasorum oscula occæcaverint, proptereaque menses detenti fuerint; tunc enim raro aut nunquam remedio locus erit.

## XXI.

Haud igitur temere, neque tarde nimis huic affectui curationem adhiberi, sed pro causæ peccantis ratione, satisque tempestive parari eam oportet. Ac primò quidem, si ex plethora, uteri vasa nimium distendente, id vitii emergere conspexeris, maximæ erit salutis, sanguinem, apertâ venâ, mittere. Præstat autem eam in cubito, quandoque commode posse fieri videbitur, tundere, ut non solum abundantia sanguinis è toto tollatur, sed etiam à partibus inferioribus ad superiores sanguis revellatur, atque adeo uterus sarcina, quâ premitur, mature sublevetur,



tur, vasaque minus distenta fluenti sanguini liberiores transitum præbeant. Quâ ratione observatum est, sæpe uno eodemque die, aut non ita multo post fluxum rediisse; uti apud *Riverium Cent. 1. Obs. 3. & Ettmullerum p. 548.* annotatum legimus. Quod si eo modo fluxus non redeat, aut modica saltem quantitas sanguinis adsit, aut etiam fluentes menses ex frigore, vel terrore similive causa, substerint, imminente, aut præsentem jam jam exclusionis menstruæ tempore, vena infra uterum secetur; sic enim majore impetu ad inferiora vasaque uteri sanguis derivabitur, spectantiaque in sinum oscula facilius aperiet.

## XXII.

Cacochymia verò medela in viscidis & acidi humoris correctione educationeque sita est. Quo casu ante omnia primarum viarum expurgationi incumbendum est, ut removeantur collectæ in alimentorum canale cruditates, fonsque mali sic intercludatur, è quo ubertim in sanguinis massam scaturire visciditates solent. Itaque nunc vomitoriis, inter quæ antimoniatæ primas tenent, eliminanda è ventriculo excrementorum saburra, nunc purgantibus stimulanda sunt intestina, ut ejiciant contenta præternaturalia, & eliciatur è plexuum glandulis ac pancreate conglomerato circumflua cum sanguine serosa colluvies. Quod quidem sæpius & per intervalla moliri sæpe expedit, præmissis & interpositis subinde leniter incidentibus, attenuantibus & absorbentibus, ob contumacem humoris viscidis acidique naturam, ipsiusque successivam regenerationem. Quin & res magis in tuto est, si purgationes repetitas potius, quàm violento pharmaco purgationem semel iterumque ac sæpius conferri moliri; inde enim virium jactura accedet, aut, efferato magis humore, facilè hyper-



catharsis excitabitur. Eam tamen spem fortior purgatio interdum ostendit, fore, ut propter exagitatam sanguinis massam à moleculis quibusdam  $\Theta$ no- $\Delta$ eis acribus purgantium, ac intestini recti irritationem, quo cum arcto vinculo devincitur vagina uteri, ut communi constare tunicâ videantur, obstructions illius excutiantur; quemadmodum quidem experientia constat. Ut proinde quid cuiusvis individui natura & constitutio ferat, probe advertendum veniat. Purgantia vero selecta sint è MP. de hier. c. agar. aloë, extract. helleb. nigr. Jalapp. scammon. troch. alhand. quibus galbanum, ammoniacum & mercurius dulcis, ob vim egregiam, quâ pollent, viscidum resolvendi expurgandique, addantur. Non minus tamen etiam vina medicata purgantia ex meliss. pulegio & similibus herbis & floribus alterantibus ac aromaticis, cum rad. bryoniæ, fibris rad. helleb. nigr. agarico, turpetho & fol. senæ, atque in iis, quæ medicamenta ingratiore non fastidiunt, decocta ex quibusdam illorum, laudari ac commendari merentur. Neque inutile fuerit clysteribus alvum eluere, ob incumbentem intestino uterum.

### XXIII.

Perpurgato, perinde atque fieri par est, corpore, veniendum est ad ea, quæ non solum in primis viis, sed canalibus etiam sanguineis fluctuantes humores corrigant atque emendent, solutisque obstructionum vinculis, vitalem sanguinis circulum per uterum omnesque corporis partes in pristinum vindicent, eademque tum intrinsecus assumpta, tum extrinsecus quoque adhibita. Ad exhaustiendam verò cacochymiam viscidam, acori permixtam, recludendasque obstructions ullum vix remedium præstantius chalybe inventu est; cujus effectus causa, meâ quidem sententiâ, ferè est; quod metallum illud intro sumptum ro-

dentis



dentis acidi humoris molimini obicitur ejusque vim infringit, (pariter atque extra corpus  $\nabla$ æ regia, vel alius acidi liquoris, acrimoniam elidere solet) dumque ab eodem succo diu multumque circumagitur, quem concipit fervorem, cum chylo, & reliquis, in primis viis scaturientibus, humoribus, communicat, magisque adeo atque magis sanguinem dividit & attenuat, planeque idoneum reddit, qui exilissimos viscerum ductus inoffensus penetret, deponatque facile locis destinatis, quos secum vexit, utilesque atque inutiles succos. Modi illum exhibendi varii sunt, maximi tamen fortasse existimari queat opera remedii martialis, quod sine igne, sine acido, solius limæ vi & potestate in minutias redactum, limatura nempe martis pura, in mortario ferreo, vel lapide porphyrite subtiliter trita, & oleo quodam stillatitio, v. g. cinamomi, irrorata, eaque non ad grana, sed  $\mathfrak{z}$ j. ad  $\mathfrak{z}$ ij. exhibenda. Nam sæpe usu compertum est, simplicem hanc chalybis limaturam, omnis alius præparationis expertem, ore aliquot diebus ex ordine manè assumptam, imò teneriore constitutione præditis præscriptam, non modò in ventriculo dissolutam fuisse, sed & obstructions tum aliarum partium corporis, tum uteri inprimis reserasse, id quod effectum dare nullo modo potuerant alia remedia, summâ curâ ex marte præparata. Dandum tamen etiam aliquid appetitui ægrarum est, quoniam continuare ejus medicamenti usum debent, nullo aliàs sperando effectû. Unde solutiones quoque martis cum tartaro, ceu genuina martis clava, in formâ siccâ, vel liquidâ, itemque croci aperientes, & ex compositis, pulvis cachecticus Quercetani & ille Monspeliensium, quem Schyronii vocant, in usum trahi possunt. Neque sua laude defraudanda sunt tincturæ martis,



tis, quæ mediatis succis acidulis vegetabilium fiunt, ita quidem, ut ab iisdem superficietenus saltem chalybs rodatur, ejusque compages referetur, neutiquam verò vis acidi absorptiva atque aperiens per acidi concentrationem extra corpus faturetur, & ad agendum in corpore inepta reddatur: siquidem id potissimum præstant medicamenta isthæ chalybeata, ut in canale alimentorum ipsaque sanguinis massa præstolentur actionem & effectus succorum acidorum viscidorumque, si qui ibi contineantur. Huc etiam latices referimus subterraneos, ramentis ferri divites, sive acidulas, quarum circumspectum usum plurimum movendis mensibus prodesse, experientia millies comprobavit; de qua re *Henr. ab Heers, Spadacrene c. 9.* videatur.

## XXIV.

Magni quoque momenti præsidia ad incidenda attenuandaq; viscida & crassa, solvendasque inde natas obstructions & restituendum humorum spirituumq; circulum, sunt cinnabarina & antimoniata fixa, saliaque acria, tam fixa, quam volatilia, ac medicamenta ad unum omnia, quæ alterutro sale abundant, quorum syllabum usumque convenientem multò elegantissime *Sylvius l. c.* commendat. Sed & salia mixta, quæ falsa vulgò vocant, hîc laudanda sunt, sal puta Armeniacus, ejusque flores, simplices & martiales, arcanum tartari & cum eo fixatus sal viperarum, arcanum duplicatum, tartarus tartarifatus, tartarus vitriolatus, sal digestivum *Sylvii*, liquor C. C. succinatus, borra veneta, & quæ alia ejus generis salia occurrunt.

## XXV.



## XXV.

His demum aromatica, amara atque sulphurea jungimus, quæ particulis suis  $\Theta$ ino- $\Delta$ eis, plus minus acribus ac volatilibus, rarefaciendo exagitandoque sanguinis massam, majore vi per arterias in partes impelluntur, viasque, ut pateant, emuniunt. Inter plurima verò cætera, quorum numerum Practici ineunt, probatæ satis virtutis sunt & excellunt plantæ aromaticæ, amaricantes & acriusculæ, v.g. rosmarin. puleg. meliss. marrub. alb. matricar. artemis. rubr. calaminth. sabina; fl. cheiri, calendul. croci; cicera rubra; rad. rub. tinct. Zedoar. aristol. rot. galang. ipsaque aromata, ac præcipue cinamomum; ut & aloë, myrrha, camphora, succinum atque castoreum. Ex quibus parata varia salia volatilia oleosa & aromatica, tincturas, elixiria, pulveres & compositiones alias lubens volensque prætereo, quia maximam partem in vulgus jam notæ sunt, atque ex tot medicamentorum fœcunda amplaque segete simplex aliquod medicamentum usui huic futurum seligi, ex variisque varias confici compositiones in promptu erit. Neque vero de usu horum remediorum generatim quidquam præceperim, cum prudentia Medici, cujus fidei hæc illave ægra commissa, eâ de re viderit. Medici enim est, temperiem ægræ, & humorum ejus constitutionem causæque peccantis naturam perspexisse antè, quam demum alia aliaque adhibere, eademque nunc calidiora, nunc verò attemperata magis. Ut enim tuto rem geramus, cavendum ab omnibus, quibuscum ullum conjunctum est periculum. Pigeat tamen prætermisisse hoc loco, id quod cordatissimi quique Medici observant, plus sæpe posse blanda temporeque opportuno proposita, quàm graviora remedia, tutiusque mollioribus humores ac vi-

E

as præ-



as preparari, & tandem fortioribus locum fore, ubi præmissis universalibus, tempus profluvii menstrui imminet, & sanguinis consensus accesserit; quâ ratione exhibita etiam purgantia fortiora commode auspicateque uterum reclusisse, experientia testis est. Frustra enim esse & temerarium, alio quovis tempore perpetuo irritare naturam ad motum & fluxum ineptam, verissime censuit celeberrimus *Vvedelius*, *Amœnitat. mat. med. p. 405.*

## XXVI.

Atque horum quidem remediorum usu legitimo sanguinis massam ad obeundum suum vitalem circulum & perficiendas secretiones excretionisque, idoneam reddere licebit: Sed ea tamen cuncta nihil faciunt ad uterum magis, quam ad reliquum corporis. Quapropter si in vaginâ uteri, qua eundem foret mensibus, vitii plus occulatur ac delitescat, externis quoque remediis opus erit, quæ hærentes eò loci humores exciant, adigantque necessitatis eò, ut sanguini tunc postea exitum quærenti cedant, vel cum eodem simul effluant. Inter ea vero adminicula balnea aquæ dulcis & tepidæ, sale quodam volatili imprægnatæ, ut & fomenta infususque arrident; ex herbis itidem aromaticis & uterinis, quæ suis tenuibus & acutis spirituosisque particulis oscula vasorum porosque uteri aperiant; vel temperatioribus etiam herbis, quæ emolliendi potius laxandique poros vim habeant, prout natura agræ causæque morbi genis postulaverit. Idem circa Thermarum usum monendum duco, quæ etsi opem interdum humidioribus attulerint, siccioribus tamen nulli bono fuisse, imo malo potius ignem materiamque subdidisse, visæ sunt. Posthæc suffitus probantur ex herb. mercurial. Sabina, colocynthide, myrrha, styrace & limi-



& similibus, per infundibulum excipiendi. Notum est etiam ex *Hartmann. Prax. chymiatr. p. 57.* decoctum scoriarum reguli ℥ij, si quantitate 2. vel 3. cochlearium immittatur sicilibus ignitis, & ita fumus excipiatur, vel si recipiatur scoria isthac gialis irrorata urinâ foetidâ, & ita suffitus instituitur. Alii quoque suffitum laudant ex scoriis martis ignitis cum urinâ foetidâ irroratis, qui utero exceptus egregie prodest. Palmam autem cæteris fere omnibus præripuerit evaporatio Spiritus EXci, ope instrumenti Glauberiani, vel tritorii tantum matrici immissa, cum tenuis maxime & penetrantissimus ille ~ sit & quosvis poros facillime subire aptus. Et quid clysteribus uterinis, pessisque, ejusque generis aliis remediis opusest, ubi hæc sufficiant? quæ alia circumspicere sane adhibenda sunt, cum exulcerationes in utero, & validas intemperies, nec contemnenda mala alia inferre soleant.

## XXVII.

Quò autem cunctæ indicationes rectè in actum deducantur, justa victus vitæ que ratio accedere debet. Quantum enim momenti ea conferat ad affligendas extingvendasque hujus morbi vires, experientia loquitur; quâ edocemur, solam interdum diætam, cum repetito balneorum usu, conjunctam, parem esse allevandæ mensium suppressioni, dum ea modo sit, quæ altis infixæ radicibus nondum hæserit. Itaque fœmina è ciborum potuumque genere, adhibitâ studiosè curâ, memori mente reponat eos, quos minus sibi commodo esse intellexit, mensiumque fluxum violare, ut ad eos in reliquum evitandos & fugiendos animum attendat. In quibus ipsius curæ atque cogitationes evigilent, multo longeque sagacius suis ipsa rebus consulat, quàm Medicus diu multumque præcipiendo, cum non æque cum omnibus mulieribus agatur. In primis autem commendatum sibi habeat victum attenuantem, & alimenta facilis solutionis, & quæ chylum fundant fluidum atque balsamicum. Aer ducatur serenus & ad calidum vergens, qui vim habeat dividendi minima sanguinis, motumque & fluorem debitum iis-



dem imprimendi. Sed caveat sibi mulier ab aere frigidiore, quôcunque modô admisso, quo glomerari sanguinem, stringique poros, notum est. Motus corporis frequens ad sublevandum sanguinis circulum excutiendasque obstructions maxime est conveniens; cujus quippe usu spreto neglectoque malum sibi accersunt fœminæ: fortior tamen, præsertim à pastu, fugiatur. Somno quoque non laxentur fræna; neque insomnes noctes ultra modum ducantur. Motus verò animi oppidè atque impensè defugiant; summamq; navent operam, ut hilaritate & deliciis ægros jacentesque sensus excitent. Vigean excretionibus omnes, votoque naturæ respondeant. Viri consuetudinem solvisse morbum, si recens fuerit, experientia dictitat, ratioque confirmat.

## XXVIII.

Tanto tamen remediorum apparatu opus non est, si à clausurâ vaginæ uteri mali origo pendeat. Ea enim solâ incisione è medio tollitur; de qua operatione *C. Celsus l. 7. c. 28. & Hildanus Cent. 3. Obs. 60.* consulantur. Quod si ob alios proprios uteri organicos affectus, cicatrices scilicet, aut vitia similia, in quibus nulli auxilio locum esse prudens Medicus intelligit, menses hæreant, satius erit à fortioribus medicamentis in præsentia abstinuisse. Præstatque tunc, iteratâ, quotiescunque requisierit necessitas, venæ sectione, aut modis aliis, deplere abundantem sanguinis partem, & adhibitis convenientibus uniuscujusvis individui naturæ remediis, crasin motumq; sanguinis tueri, atque sic amoliri mature symptomata, quæ manare alias ex impedito illo profluvio possent. Denique nullam his accessionem adjungo de ineundâ symptomata curandi viâ, utpote quorum pleraq; evulsâ radice, suapte sponte pessum eunt & evanescunt, nonnulla autem, rarius feriusq; advenientia, peculiarem curandi rationem exposcunt. Neq; verò quisquam à me desideraverit, ut affectibus aliis præternaturalibus, quos sæpiuscule eniti suppressionem mensium diximus, pellendis subigendisque leges figam, cum eam, acie mentis nonnisi ad affectum primarium reflexâ, ad disquisitionem vocare mihi volupe in præsens fuerit.

S. D. G.